

gnitur, scinditur & prolabitur, & in fossa cavernæ clauditur, calore modesto regitur, inferitur & custoditur.

Hic Serpens est calidus, quærens exitum ante ortum, perdere volens fœtum, cupiens abortum, qui calore vel frigore indebito, seu nimio confunditur, sed calore nimio præcipue suffocatur, & nec unquam fiet ex eo, quod quæritur. Venenum autem serpentis per venas descendit, quod in posteriore vase omnino derogatur: Ut sicut naturæ subtilitas ipsi in venis prædictis causam dedit augmentationis & vitæ, & se in naturas perfectissimas reduxit, & sit hæc meta tibi, Tabula prima perfectissima. In omni generatione naturali perfectæ naturæ tempus datur conveniens 40. dierum. Cum igitur ex coniunctione & revolutione 7. Planetarum per sphaeras signorum, per mutationem elementorum quatuor directè varientur & cognoscantur. Omnia, quæ sub Lunari circulo continentur, sic in hoc opere per exhalationes, evaporationes, ascensiones, descensiones & extractions dictorum quatuor elementorum, in fine quadrangulari in Vnum convertentur, & tanquam PRATUM florigerum, rore Cœli decoratum, coloribus, floribus & odoribus diversarum naturarum ab eadem terra conceptis, ex causa naturalis regiminis corporum supercœlestium, quæ in terra formam recipiunt, fructum & effectum: Idque tamen propter nigredinem TERRÆ, albedinem AQUÆ, viriditatem Aeris, rubedinem Ignis, & commixtionem Naturæ. Ratio est, quod in vera conceptione nostri Serpentis omnes perfecti & mixti colores apparebunt. Et incipit hic Serpens mirabili vultu inspicere, & tanquam Bufo nigerrimus tumescit, & propter virilitatem & veram liquefactionem suam, petit à sua tristitia liberari: qui tollens alas suas expandit albas, & petit, ut perfectè sine gravamine abscindantur, quod fiet, quando sub eodem regimine caloris sudor ipsius animatus, qui est Aer & Aqua, & solum Aqua extrahitur modestè cum mora: & ideo non iteretur mundatio sudoris super terram, vel propter terram, emissis conformiter intestinis, & relictis capite & pedibus in vase nigerrimis, custodiantur singula continue, in calore sub clavibus supra dictis, quousque aqua palleat, & dicta terra se calcinare videatur. Tunc vox auditur Naturæ, & subtiliter & fideliter OPERANTIS. Nunc copulabitur mihi VIRMEUS Supervacuum videtur perfectiones huius naturæ nominare: Cum Theriaca ex Serpente nostro confecta fuget omnes infirmitates sine mora curabiles corpo-

Serpens.

pratum flo  
res, ex rore,Colores Ento  
rum.

Theriaca.